



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De divisione juramenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITVLVS XXIV. DE IURE JURANDO.

### SECTIO I.

#### De Juramento in genere, & variis juramentis, tum licitis, tum illicitis.

##### §. I.

*Quid sit juramentum, & de con-  
ditionibus ad illud requisitis, variisq;  
jurandi formis, ac modis.*

Juramentum rectè definitur, quòd sit invocatio Divini nominis in testem, quòd duplici modo fieri potest, vel affirmando, aut negando sub invocatione Divini nominis in testem, & habetur juramentum assertivum; vel promittendo aliquid cum juramento, & habetur juramentum promissorium. Potest autem Deus in testem vocari explicitè, vel implicitè, jurando scilicet per creaturas, quatenus in illis reluceat Deus; uterque jurandi modus licitus est secundùm se, *c. Etsi Christus. 26. h. t.* si suos tres comites habeat, veritatem scilicet (ut res quæ juratur, vera sit, sive ita se habere puerit, sicuti juratur) judicium (ut non temerè, & sine necessitate, utilitate, ac pia affectione juretur) & justitia denique, ut licitum scilicet sit, ac honestum, quòd juratur. Sunt autem jurandi formulæ variæ, quas magis ex usu Patriæ, juxta quam jam hoc, jam illud, pro jura-

mento habetur, etiamsi explicitè Divinum nomen non invocetur in testem, & ex Theologia morali discere potes, quàm ex jure Canonico; ex quo tamen satis certum est, quòd ex natura rei non requirantur verba formalia ad juramentum (valde tamen convenientis est, ut in foro externo per verba juretur) & quamvis juxta SS. Canones juramentum fieri debeat, tactis, vel propositis saltem Evangelii, quòd in juramento solemnè sæpe servatur, consuetudo tamen maribus præscripsit, ut erectis cum pollice duobus primis digitis manûs dextræ, reliquis duobus in depressis; foeminis verò, ut jurent ad sinistram pectoris partem positâ dexterâ; Sacerdotibus denique tangendo pectus, ut jurent.

##### §. II.

#### De divisione juramenti.

Juramentum dividitur primò in assertorium, & promissorium, uti jam dictum, ita ut ad juramentum promissorium non tantùm reducatur juramentum, quo confirmatur promissio, sive pactum, sed juramentum etiam fidelitatis & obedientiæ, quòd Episcopi in sui Ordinatione, & Abbates in sui benedictione, si à Pontifice confirmationem suæ dignitatis accipiant, præstare debent Summo Pontifici. juxta *c. Ego. 4. h. t.* Et quòd Romanorum Imperator in sua

coro-



coronatione Ecclesie Romanæ, & Summo Pontifici præstare solet, ut patet ex *Clement. Romani h. 1.*

Secundò dividitur iuramentum in contestatorium, sive illud, quod fit per simplicem contestationem Divini Numinis, sive quando simpliciter Deus in testem vocatur: & in iuramentum execratorium, quod fit sibi ipsi, vel aliis dilectis, vindicem Deum, sive malum à Deo immittendum imprecando. De quo Theologi Morales.

Tertio dividitur in iuramentum iudiciale, & extrajudiciale. Hoc extrajudiciale fit, & satis explicatur à Theologis Moralibus. Illud in iudicio fit, & in diversas species subdividitur, ita ut aliud dicatur iuramentum calumnie, de quo in Tit. 7. hujus Libri. Aliud dicatur in litem, cujus tres sunt species. Prima est iuramentum veritatis, sive veræ æstimationis, quod deferretur parti, ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius malitiam ablata, præcedente tamen iudicis taxatione *c. ult. De his, qua vi metusve, &c.* Secunda est iuramentum affectionis, per quod rationes peculiaris affectionis, aut utilitatis erga rem sibi deperditam, conceditur huic parti, præcedente tamen iudicis ratione, rem majoris æstimare, quam communiter valeat. Tertia est iuramentum super interesse singulari, & extra rem, quando scilicet damnum passus fuit ex non restituta re sua, quod iuramento æstimare permittitur. Aliud denique dicatur litem decisivum, quod in iudicio ad finendam litem nonnunquam deferretur, & si quidem hoc à parte parti deferretur, quod simpliciter recusari potest, dicitur vo-

luntarium; Si verò iudice approbata deferatur à parte parti, ita ut reus parte possit, dicitur iudiciale speciale. Necessarium verò denique dicitur, quod ob inopiam plenæ probationis à iudice alterutri parti litigantium, vel ex officio vel ad instantiam alterius partis detur, & suppletorium etiam dicitur, ac iudiciale, si iusta causa recusari non potest.

## §. III.

*Qua persona in iudicio jurare possint?*

**O**Mnes homines rationis usu præditi ex natura rei sunt capaces iurandi in iudicio, etiam pueri ante pubertatem, ut constat ex *c. 1. In de iur. iur.* Cogendi tamen impuberes non sunt, ad iurandum in iudicio, ob defectum perfectæ discretionis ad reverentiam iuramenti requisitæ; sed nec Sacerdotes levi causa compelli debent, ad iurandum in iudicio, *can. Si quis Presbyter, &c. c. 2. q. 5.* neque enim iuramentum sacrarium est, nisi quod fidei iuramentum omnia deferantur, quod Sacerdotes dignitas dicere non patitur: perjurium vero nullo modo admittendi sunt, ad iurandum in iudicio, quia cum semel perjuraverint in iudicio, periculum est, iterum pejerent.

## §. IV.

*De variis iuramentis illicitis, quæ iuramentum non obligant.*

**I**uramentum de re illicita, aut immoribus, ac rectæ rationi repugnante scienter factum, quod observari non debet, regula generalis est; cum iuramentum